

mul addidimus. Indeque à veritate haut aberrare nos putantes denuò Saulem fuisse Energumenum, & pro demonstrandâ obsessionis existentia rectè adduci posse affirmamus. Equidem, quemadmodum non defuerunt homines stulti, & nec Scripturæ nec quotidiana Experientia fidem ullam adhibentes, qui existentiam Diabolorum in dubium vocare non erubuerunt, quales jam Christi & Apostolorum temporibus Sadducei erant, utpote nec Angelum nec Spiritum esse dicentes *Act. XXIII, 8.* qualis & ille *Fanaticus Enthusiasta* (ita eum nuncupat *Voëtius Tom. I. Diss. de natura & operatione Daemon, p. 910.*) *Dauides Georgius*, qui Diabolos transformavit in corruptionem voluntatis humane, pravosque animi motus, aut cum iis confudit, qui demum extiterint post lapsum Adæ, ut convincitur ex *Libro Mirabilium Part. II. c. 28. 29. 30. 117.* Et evidenter ac compendiosè ex *Apologiâ ipsius ad Annam Oldenburgicam, Comitissam Embdanam, cap. V.* Ut jam absurdas & à divinâ revelatione prorsus alienas Gentilium opiniones heic nihil morer; ita quoque, deprehensi sunt, qui homines Diabolorum objectioni subjectos esse ieverunt inficias. Unde eos, qui verè à Diabolo obsidentur & cruciantur, naturalibus communiter laborare morbis dicunt, qui ex astrorum influentiis sint exorti, atque illos inani quâdam deceptione & illusionem eò adduci, ut à Diabolo in ipsis latente agitari se credant. Vide *Voëtium Diss. de Energumenis p. 1021. 1024. seq.* Verùm utinam cum re ipsâ consentiret hæc ipsorum sententia, humanum certè genus à maximâ & deplorandâ infelicitate esset liberatum. At non SS. solùm literæ, sed naturales etiam rationes, quas quotidiana & nimis frequens suppeditavit experientia, contrarium manifestè probant, adeò, ut, qui refragari iis velit, parùm ab Atheorum impietate abesse videatur. Saulis exemplum jam vidimus, plura ejus generis in Scripturâ con-